

Forma princeps est dispositio thematis cum argumento: *seu subjecti cum predicato.*

Hæc dispositio debet esse legitima, hoc est, cōgruere cum ordine rerum extra mentem. Itaque falsum axioma non nisi æquivocè dicitur axioma, sicut homo mortuus dicitur homo. Hinc patet, quòd dispositio non sit genus axiomatis.

Dispositio est vel compositio, quâ thema cum argumento conjungitur; vel divisio, quâ thema ab argumento disjungitur:

Ut cùm dico, homo est animal, compono; at divido, cùm dico, homo non est stipes. Cæterū hæc dispositio axiomatica est vera vel falsa, necessaria vel contingens &c. Sed de his infra dicemus in distributione axiomatis.

Forma axiomatis minùs princeps est vinculum, nota externa dispositionis.

Multi disputant, vinculum, seu copulam, non esse partem axiomatis, sed ineptè. Nam copula ad propositionem ita necessaria est, ut nulla sine eâ consistere possit. Ratio; quia prædicatum, nisi copula sit adjuncta, vel ei inclusa, nihil manifestat. Est autem necessaria, tanquam forma secundaria, seu subserviens primariæ.

Vinculum est vel verbi, vel conjunctionis.

Vinculum verbi est, cùm subjectum cum prædicato vi verbi substantivi *Sum* disponitur. *Vulgò copula verbalis.*

Verbum substantivum *Sum* est omnium verborū simplicissimum, adeoq; primum & irresolubile. Omnia enim verba in illud resolvuntur. Et hinc ipsi est hæc prærogativa, quòd in axiome sustineat vicem subscudis alicujus, ut ita dicam. Si dicas, verbum *existo*, item *fio*, habere etiam vim copulandi; ut, Socrates existit sapiens, Socrates fit sapiens; ridebo. Nam primò est insolēs Latinis auribus si dicas, Socrates existit sapiens. Deinde *to fio* fungitur vice prædicati, quia sumitur pro efficior: *to existo* itidem fungitur vice prædicati, & quod illi adjungitur, est determinatio prædicati. Denique in utroque verbum substantivum est implicitè.

Vincu-